

nans, et diem de die trahens, caute et pedetentim tuas possessiunculas vendideris, non habet Christus, unde alat pauperes suos. Totum Deo dedit, qui se ipsum obtulit. Apostoli navem tantum et retia reliquerunt. Vidua duo aera misit in gazophylacium et praefertur Croesi divitiis. Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum.

---

## BEATI HIERONYMI EPISTOLA AD OCEANUM DE VITA CLE- RICORUM \*).

SOFRONIUS EUSEBIUS HIERONYMUS OCEANO SUO SALUTEM.

Deprecatus es, ut tibi breviter exponerem, qualiter clerici debeant vicitare in hac vita mortalium. Hinc me plerique maledictis aemuli praestolantur, quia non sileo veritatem, tamen mihi carissime, ab Apostolo sumamus exordium, qui ait: Humanus sermo et omni acceptione dignus. Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, pudicum, benignum, ornatum, hospitalem, docibilem, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non vinolentum, domui suaे qui bene praeest, et reliqua. Totum comprehendit esse caendum, cum irreprehensibilem ponit. Quomodo igitur alterum reprehendet, cum ipse qui accepit potestatem ut doceat, sit reprehensibilis? Quia vita episcopi, forma debet esse clericorum. Ex episcopo gradus caeteri clericorum condiscunt, quomodo debent vivere in hac vita mortali. Seipso imitabiles debent proponere sacerdotes, ut alii juniores,

---

\* ) Opera. B. Hieronymi. Francofurthi ad Moenum. 1684.